




**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Tomus ...**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1652-1663**

Cap. 11. Circa mutuam fratrum ac sororum obligationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80586](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80586)



CAPVT XI.

Circa mutuum fratrum ac sororum obligationem.

PROBL. XLVI.

*Frater vterinus tenetur, & non tenetur
saltem pro ratione alimentorum so-
rores, ac fratres vterinos do-
tare sicuti alerentur.*

194
Nonnulla
suppono.



SUPPONO, fratres vtrique natos, hoc est eodem patre ac matre, si sint diuites, teneri dotare fratres ac sorores pauperes conuenienter ad genus suum, in vtroque foro soli, & poli. Quia inter fratres consanguineos & vtrique natos rarissima est conuetudo, cum illis omnia iura nominis, agnationis, & familiae sint communia. Barbo. 10. p. 4. l. ff. solute matrim. Menoch. l. 4. de presump. p. 189. num. 43. Barthol. ad l. cum plures 13. de administr. tutor. §. fin. & alij communiter. De fratribus, ac sororibus pauperibus consanguineis tantum, hoc est, ex eodem patre natis, diuersa tamen matre, idem est dicendum. Vnde tenentur fratres, ac sorores diuites in subsidium ac defectum ascendentium aorum ac proauorum scilicet, eos alere, & dotare competenter ad genus suum. Quia in huiusmodi fratribus ac sororibus consanguineis speciali modo considerantur in iure iura cognationis, Sanguinis, & familiae, l. 2. & l. spurius ff. de cognati. Ergo considerari etiam debet onus dotandi. Molina 10. 1. de inst. d. 159. §. Nihilominus. Sorores & fratres vterinos pauperes, hoc est, ex eadem matre, & diuerso patre natos non tenentur fratres & sorores diuites dotare competenter ad genus suum, sed tamen eos alere tenentur: nisi sint heredes bonorum matris; tunc enim non solum alere, sed etiam dotare tenentur, sicut tenentur matres. Quia fratres & sorores vtrique coniuncti excludunt ab intestato, vterinos tantum; imò & filij fratrum, & sororum vtrique coniunctorum excludunt ab intestato fratrem ex eadem matre, & diuerso patre. Molina 10. 1. de inst. d. 164. §. Septima conclusio. & d. 159. §. Nihilominus. Quaeritur autem, an frater vterinus teneatur saltem pro ratione alimentorum dotare fratres ac sorores vterinos, sicut tenetur alere, nihil eis amplius pro dote constituendo, nisi id quod alioqui, plus minuse in eorum alimentis erat insumpturus?

195
Tenetur
plane.

Tenetur quidem. Quia hoc non est dotare simpliciter secundum dignitatem, & facultates suas competenter ad genus suum; sed pro modulo, ac tenuitate alimentorum. Bene enim valet argumentum de alimentis ad dotem: & de dote ad alimenta, ut passim Doctores communiter asserunt; & in iure nomine dotis veniunt etiam alimenta. Vnde in iure valet hoc

argumentum: Tenetur alere, ergo tenetur dotare pro ratione alimentorum. Sic Greg. Lopez l. 18. tit. 16. p. 6. Molina de primog. l. 2. c. 15. n. 61. Campeggi de dote. p. 1. q. 23. Boetii. decis. 129. n. 9. Tiraquel. de primog. q. 62. sine.

Non tenetur. Quia non valet in hoc casu argumentatio de alimentis ad dotem, cum ad sit textus expressus praescribens, fratres non teneri dotare vterinas sorores. l. cum plures. §. finalis ff. de administr. tutor. ibi: sed non dabit dotem sorori ex alio patre nata, etiam si ea aliter nubere non possit. Ratio est, quia alimenta dietim praestantur, mensuatim, aut ad summum annuatim: dos vero praestatur simul, & vno cumulo: & sic in dote agitur de maiori praedicio. l. Tutor 14. §. fin. ff. de administr. tutor. Haec est enim natura dotis, ut simul proferatur, & constituitur. Ita Barbosa p. 1. l. 1. ff. solut. matrim. 10. 1. numer. 126. Fagund. 10. 1. Decal. l. 4. c. 16. num. 7.

Idem asseruerim. Non enim valet argumentum de alimentis ad dotem, ut nostra probat assertio; valet tamen de dote ad alimenta. Haec enim est apta argumentatio: Tenetur dotare, ergo alere tenetur. Haec autem non est bona: Tenetur alere, ergo tenetur dotare; quia in dote agitur de maiori praedicio, quam in alimentis; dos enim datur simul, non sic alimenta. At si frater haeres sit bonorum matris tenebitur ad alendam & dotandam vterinam sororem. Quia ea obligatio imposita est rebus si non personis: vnde ea bona cum suo onere transferunt ad fratrem haereditatem: habetur expressè in c. cum haberet, de eo, qui duxit in uxorem.

PROBL. XLVII.

*Fratres, & patres Clerici, & beneficiati
possunt, & non possunt iura conscientia
sorores, ac fratres suos, filios, ac filias
etiam spurias ex fructibus Beneficij dota-
re, ex eo capite: Quia dos succedit ali-
mentorum loco.*

SUPPONO posse si velint, & requiro ex quo scapite id possint: An quia dos loco alimentorum succedit? Ita plane. Vnde si tenentur alere fratres, sorores, ac filios etiam spurios, etiam pro modulo alimentorum dotare tenentur: quod arctius est, quam Possunt. Sic Azor. 10. 2. l. 11. c. 40. q. 6.

Non possunt dotare sorores fratres, ac filios spurios eo quod dos succedit alimentorum loco. Quia dos loco alimentorum minime succedit; non enim valet argumentum de alimentis ad dotem: valet tamen de dote ad alimenta, cum alimenta dietim praestentur, mensuatim, vel annuatim; dos autem vno cumulo constituitur. Vnde in dote agitur (ut Probl. 46. vidimus) de maiori praedicio dotantis. Et quia dos primario datur ad sustentandam familiam, secundario ad vitam sustentationem; alimenta vero semper & solum dantur ad sustentandam vitam conuenienter ad genus tantum: quamobrem est diuersa ratio in dote, ac in alimentis. Ita Abbas ad c. Peruenit de arb. num. 1. & 5. Valquez de success. creat. l. 2. §. 20. num.

Secl. II. De Præcepto IV. Problemata 261

num. 3. 14. ubi latè probat, dotem loco alimen-
torum minimè succedere.

200
Expono
quo titulo
possunt.
Igitur si hoc titulo Clerici non possunt do-
tare: Certè id possunt, quia hoc in casu dos
titulo elemosynæ præstatur. Solum hoc titulo
fratres, aut patres Clerici, & beneficiati Soro-
res suas pauperes, fratres, filios, filiasque in de-
fectum bonorum patrimonialium dotare pos-
sunt ex fructibus Beneficij. Hoc fundamento
hanc sententiam Panormitanus fulcit, quod
fortius Azoris mei venia, esse crediderim.

PROBL. XLVIII.

*Fratres, ac patres Clerici tenentur, & non
tenentur Fratres, Sorores filios, ac fi-
lias etiam spurios ex bonis
Ecclesie dotare.*

201
Tenentur ad
id patres, &
fratres.
Non solum possunt, si velint, fratres,
aut patres Clerici etiam beneficia-
ti Fratres, Sorores, ac filios etiam spurios
dotare: sed ad id tenentur in utroque foro in
defectum bonorum patrimonialium. Quia in
cap. Peruenit, de arbitr. num. 5. & in l. Promitten-
do 4. in iur. Cod. de iure dotium, disponitur, fra-
trem Clericum promittentem dotem sorori,
teneri eam in subsidium, ac defectum bonorum
patrimonialium ex fructibus Beneficij persol-
vere. Sic Barbosa tom. 1. part. 4. lib. 1. ff. solutio
matrimon. num. 132. Butrius ad cap. Peruenit, n.
2. Imola ibi, num. 1. Garcia Gallego tract. de ex-
pensis cap. 4. num. 36.

202
Non tenen-
tur.
Non tenentur dotare, sed possunt si velint.
Quia (vt Problem. 47. vidimus) dos solum titu-
lo elemosynæ potest conferri. Ergo nec ten-
entur eam dare, nec ad id cogi possunt. Nam
extra casum extremæ necessitatis elemosyna
faciens arbitrio committitur, cui potius ve-
lit eam elargiri: elemosyna namque est vo-
luntaria, & non coacta quoad electionem, ex-
clusa extrema necessitate, & cæteris paribus.
Et quidem ex cap. Peruenit, nihil in contrarium
colligitur. Quia ibi tantum dicitur fratrem
Clericum sua sponte sororem dotasse: non au-
tem dicitur, dotasse inuitum, aut obligatum
fuisse ad dotandum. Postquam autem liberè, &
spontè dotauit, iustissimè potuit obligari ad
soluendam dotem promissam ex fructibus Be-
neficij in patrimonialium bonorum defectum.
Neque lex Cum plures Clericos comprehendit
expressè, cum Clerici, & eorum bona Ecclesia-
stica effugiant iuris civilis dispositionem: nec
ius civile absque Papæ facultate de bonis Ec-
clesiasticis, quales sunt Beneficij fructus, po-
test disponere. Ità Panormit. ad cap. Peruenit,
de arbitr. Fagund. tom. 1. Decalog. lib. 4. cap. 7.
num. 5.

203
Secunda sen-
tentia sub-
scribit.
Fateor, primam sententiam communio-
rem esse, ac plurimum Doctorum autoritate fulciri.
At quò cum paucis secundæ subscribo, asse-
rens, posse Clericos ex Beneficij fructibus
dotare pauperes sorores filios, ac filias suas
spurias etiam: non tamen ad id teneri.
Addiderim, nec teneri etiam, vt aliqui existi-
mant, apponere pactum, in dote, vt, soluto ma-
trimonio, dos ad Ecclesiam reuertatur. Quia

dos illa datur elemosynæ titulo, quæ cum
impenditur, absolute impenditur, & non sub
conditione reuertendi ad largitorem, si pauper
accipiens moriatur, vel viuens ad fortunam
meliores recurrat: posse tamen illud appone-
re, si eis libuerit. Ratio est, quia Clerici pos-
sunt dotare ex fructibus suorum Beneficio-
rum, & hæredes intinere quoscumque alios
pauperes, sine eiusmodi pacti appositione: Er-
go & sorores proprias, & filios, ac filias suas,
quando pauperes sunt. Neque enim ex eo,
quod consanguinitate sint propinqui peioris
sunt conditionis quam reliqui pauperes.

PROBL. XLIX.

*Licet, & non licet Clericis ex fructibus Be-
neficij dotare sorores spurias, vel
spurios fratres ex coitu legi-
bus damnato.*

204
Nonnulla
suppono.
Suppono, coitum damnatum non esse qua-
libet in re fornicaria peccatum, sed
coitum inter personam, vel personas adulte-
ras, aut habentes impedimentum dirimens,
vel impediens consanguinitatis, affinitatis,
vel voti castitatis simplicis, aut solennis, vel
Sacros Ordines. Itaque filij spurij, seu ex coitu
damnato illi dicuntur in iure, qui sunt ex adul-
terio, & quorum patres, vel matres hæc ha-
bent ad contrahendum impedimenta. Quæ-
sierim igitur, an liceat Clericis ex fructibus
Beneficij dotare fratres, vel sorores spurias ex
coitu legibus damnato ex iure antiquo, &
communibus.

205
Minimè sit
licet.
Minimè eis licet. Quia ius civile id expres-
sè negauit filiis spuris ex coitu damnato: vt
constat ex Authent. Ex complexu Codic. de in-
cess. nupt. & Authent. Quibus modis naturaliter
efficiantur liberi, §. vltim. & Authent. Licet pa-
tri, Codic. de natural. liber. Sic Azor. tom. 2.
lib. 2. cap. 4. quest. 7. Vbi prohibentur hu-
iusmodi spurij accipere à Clericis alimenta: Er-
go efficacius à dote accipiendo prohibe-
buntur.

206
Licet omnib.
Eis licet omnino. Quia licet ius civile id in-
terdixit, ius tamen Canonicum æquius iudi-
cauit, hæc in re, quam æquitatem iam Iudi-
ces civiles hodie sequuntur: & constat ex c.
Cum haberet, de eo, qui duxit in uxorem eam,
quam polluit per adulterium. Et ex cap. 1. et ve-
nerab. in fine, & ex Gloss. ad cap. Cum habe-
ret. Ratio est, quia alimenta sunt simplici-
ter necessaria ad vitam, & hæc iure naturali,
non æquitate tantum quibuslibet filiis etiam
spuris debentur, nec possunt minui, aut po-
testate humana tolli. Igitur, si de alimentis lo-
quamur, non solum possunt Clerici, sed etiam
teneri alere Fratres seu Sorores spurias ex coi-
tu damnato, & posse ad id obligari pro utroque
foro: dotare autem possunt, si velint, titulo sci-
licet alimentorum, aut elemosynæ: quod ius
civile videtur abnegasse. Possunt ergo, si ve-
lint dotare spurios Fratres, aut Sorores ex coi-
tu damnato: non tamen ad id tenentur, ne-
que possunt in aliquo foro obligari. Ità
Curtius de iure paron. verb. Honorifice, nu-
mer. 13. Abbas ad cap. Peruenit, de arbitr.
Sylvest.

Sylueit. v. Clericus. 4. q. 14. Fagund. 10. 1. Decal. l. 4. c. 17. n. 6.

207
Auctori sen-
sentia.

Crediderim, ius civile non priuare simpliciter spurios huiusmodi alimentis ad vitam necessariis, sed aliis laucioribus ad familiæ honestatem. Licet verò interdixerit, ne de eis impendatur, ius canonicum mitius adiudicauit. Vnde Clerici possunt, si velint fratres ac sorores sic spurias decenter titulo eleemosynæ, vel alimentorum dotare. Hæc autem procedunt de iure Canonico antiquo. Nunc verò, an id interdictum sit Clericis constitutione noua Pij V. quæ incipit *Quæ ordini Ecclesiastico*, est dubium. Nam ibi Pontifex reddit in clericis omnes licentias, & facultates irritas, priuilegia, dispensationes, & donationes, siue inter viuos, siue causa mortis, testamenta, & alia huiusmodi in quæcumque illegitimos siue proprios, siue extraneos facta. Existimo tamen, noluisse Pontificem per hæc verba iuri communi derogare: quod præscribit, vt filiis, ac sororibus etiam spuris alimenta præstantur, quæ sunt de iure naturæ; sed voluisse tantum abrogare aliquas speciales licentias, ac facultates concessas aliquibus Prælati, ac personis Ecclesiasticis testandi, aut donandi aliquid de fructibus, seu redditibus Beneficii. Neque etiam voluisse illis interdicare constitutionem dotis titulo eleemosynæ, & pro modo alimentorum. Sic respondet Azor. 10. 2. l. 1. c. 11. Nauar. 1. de spoliis Cleric. §. 19. num. 9. 10. & 11. Barbosa 10. 1. p. 4. l. 1. ff. soluto matrim. n. 65.

PROBL. I.

Huiusmodi fratribus sororibus, filiis, seu filiabus spuris solummodo præstanda sunt, & non solummodo sunt præstanda alimenta quæ ad vitam sustentationem sunt præcisè necessaria.

208
Solum tenen-
tur ad præ-
sta-

QVæstio est, quænam alimenta huiusmodi filiabus, filiis, fratribus, sororibus spuris præstanda sint: an illa solum, quæ sunt præcisè ad vitam necessaria: an verò illa, quæ necessaria sunt ad transigendam vitam competenter ad genus proprium? Fratres & patres solum tenentur ad ea alimenta eis præstanda, quæ præcisè necessaria sunt ad vitam sustentandam, nulla habita ratione diuitiarum, honoris, vel generis paterni. Quia cum huiusmodi alimenta spuris præstentur miserationis gratia: secundum tantum naturæ indigentiam præstanda sunt. Sic Bald. l. si maritus. ff. eodem. Palati. in repetit. c. Per vestras, notab. 3. §. 24. nu. 3. Callan. consil. 39. n. 55. Gamma. decis. 343. n. 4. Corduba l. si quis à liberis, §. idem rescriptis. à n. 48. ff. de liber. agnosce.

209
Non solum
ad præstati-
onem.

Alimenta filiis fratribus ac sororibus spuris præstanda sunt non tantum quo ad vitam necessitatem subleuandam; sed attentis diuitiis paternis, vel fraternis, honore, dignitate, ac generis splendore. Quia id exprimitur c. cum habeat, ad finem, de eo qui duxit in uxorem eam, quam polluit, dum decernitur, spuris præstari alimenta secundum id, quod suppetunt facultates paternæ: Ergo ad diuitias paternas debet respe-

ctus haberi, ac consequenter ad eius dignitatem, & generis splendorem. Textus sic: *Filiis (spuris) secundum quod eis suppetunt facultates, necessaria subministrentur.* vbi Glof. v. secundum facultates. inquit: Hoc est regulare, quod secundum facultates alimenta ministrentur. Ita Gregor. Lopez l. 10. tit. 13. p. 6. v. Heredat. Callaneus sibi contrarius in consuetudinib. Burgundie rubr. 8. §. 3. n. 11. Tello l. 10. Tauri nu. 1. Certantes ibi, n. 6. Et hanc opinionem communiter receptam esse in forensibus controuersis testatur Molina de primog. l. 2. c. 15. n. 18. & Matienzo l. 8. tit. 8. l. 5. ordinat.

Hoc verius esse crediderim; quia alimenta hæc, spectato iure canonico, non dantur præcisè secundum exigentiam naturæ, ac commiserationis causæ; sed secundum naturæ exigentiam spectata paternæ, aut fraternæ dignitate, & iure sanguinis, generis nobilitate, ac facultate diuitiarum. Si ergo pater, aut frater sit diues alimenta spurio præstari debent securum id quod diues suam familiam alere solet: si verò pauper, tunc necessaria iuxta pauperum morem præstentur.

PROBL. II.

Vestes pretiosæ quas sponsi assolent mittere sponsis suis, vt in die nuptiarum illis induantur, soluto breui matrimonio, per obitum sponsæ, & in dubio, an sponsus voluerit ea ornamenta absolute donare; pertinent, & non pertinent ad hæredes sponsæ.

NONnulla lubet circa materiam partitionis inter fratres in præsentem differere, vt constet, an teneantur aliqua bona de quibus maior est difficultas in diuisionem adducere. Suppono autem ad præsentem quæstionem, vestes & ornamenta data à parentibus filiis, vel filiabus nubentibus posse, & non posse à collatione diuisionis liberari. Nam si constet data fuisse, vt die nuptiarum ornatus appareant: conferenda sunt; quia non fuerunt translata in dominium filiorum, sed semper in dominio parentum permansere. Si constas fuisse simpliciter donata, tunc attento iure communi, non sunt conferenda in diuisione aut partitione bonorum inter fratres; quia sunt simplices & ac liberales donationes, quæ de iure communi non conferuntur, quando non excedunt quantitatem, quam parentes donare poterant absolute in insinuatione, iuxta leg. penult. C. de collat. Velasco de partit. c. 13. n. 57. & alij. Hinc insurgit aliud dubium huic affine, num vestes pretiosæ, quas sponsus assolent mittere sponsæ suæ antè contractum matrimonium, vt in die nuptiarum illis induantur, soluto breui coniugio per obitum sponsæ sine liberis decedentis sint ipsi sponso restituendæ, an hæredibus sponsæ debeantur: Certe quæstioni huic etiam cum distinctione respondeo. Si quando vestes, vel ornamenta immissa sunt ab sponso sponsæ, constat voluisse eas simpliciter donare, non sunt restituendæ sponso, sed sponsæ pertinent ad hæredes, modo non excedant quantitatem, quam sponsus absolute in insinuatione sponsæ poterat donare: nam si excedant, valor pro excessu restituendus est sponso. Constat ex l. 1. C. de

Secl. II. De Precepto IV. Problemata. 263

de donat. ante nuptias. & in hoc puncto omnes consentiunt. At in dubio, an voluerit, vel noluerit donare, quaeritur, utrum vestes illae seu ornamenta ad sponsum pertinent, an ad sponsae heredes?

212 *Pertinent ad spon-
sae heredes spon-
sa, non ad
sponsum.*
Non pertinent ad sponsum, sed ad heredes sponsae. Quia in dubio praesumenda est simpliciter donatio, maxime si moris sit in aliqua civitate aut Regno, hac ab sponso ad sponsum immitti, & verendum sit, id sponsum non agere. Quia in omnibus contractibus & donationibus spectandus est semper mos Regni, ac civitatis; semper enim istiusmodi res censentur datae iuxta morem civitatis, iuxta l. penult. §. 1. ff. soluto matrim. Sic Afflictis decis. 315. num. 7. Qui quidem addit: sane prodigalia vestimenta, quae modernus usus induxit, donata censi non possunt, nec monilia, nec lapides pretiosos. Quia nemo praesumitur velle male vii substantia sua cum damni enormitate.

213 *Ad sponsum
pertinent, non
ad sponsae he-
redes.*
Ad sponsum pertinent, etsi non excedant quantitatem, quam sponsum absque insinuatione donare non potest, sed intra illam contineatur; non ad sponsum. Quia Glossa communiter recepta ad l. cum qui §. si certum petatur, asserit, nunquam praesumi donationem simplicem, si aliunde detur aliqua coniectura, qua contrarium possimus coniectare iuxta leg. cum de debito ff. de probat. Cum igitur in praesenti casu illa occurrat coniectura, quod sponsum haece vestes, ac ornamenta sponsae immittat, ut in die nuptiarum ornatus appareat, vel procedat ad Templum: cessat omnino donationis praesumptio. Ita Barthol. ad l. 1. §. Nec castrense, ff. de collat. bonor. n. 10. Imola ad l. penult. §. servus n. 10. ff. soluto matrim. Fagund. to. 1. Decal. l. 4. c. 19. n. 14. Palat. in repet. rubr. de donat. inter virum & uxorem §. 7. Gama decis. 123. n. 1. & alij.

214 *Hanc partem
nunc recepta
rima alio.*
Haece sententia hodie est plane recepta, quam verior esse crediderim. Nec enim Matthaei de Afflictis coniectura convincit, dum ait, in hoc casu si vestes, aut monilia sint tradita ac missa in civitatem, aut locum, in quo moris est ad sponsum immitti, & verendum esset sponso id non facere; praesumendam esse donationem: nam haec coniectura infirma est, & in illum potes retorqueri, ut apte docet Gama. Nam in ea circumstantia, si verendum esset sponso hoc non agere, magis praesumitur id fieri ob necessitatem, quam ob voluntatem, argum. l. Pecunia ff. de aliment. & cibis leg. ideoque non censetur simpliciter mercede gratis & liberaliter donata. Quia in necessitatibus nemo praesumitur liberalis, nemo liberalis existit.

PROBL. LII.

Patrimonium Sacrorum Ordinum est, & non est adducendum ad collationem, si attingat aliorum fratrum legitimam & tertiam partem dotantis.

215 *Nonnulla
permittit.*
Suppono, Concilium Trident. sess. 21. c. 2. Non inducere absolutam prohibitionem alienandi patrimonium, quod assignatur a pa-

re filio pro ordinum susceptione: sed donec Sacris ordinatus, Ecclesiasticum Beneficium sit adeptus, vel aliunde habeat, unde congrue ac decenter vivere possit. Quaeritur itaque, num donatio facta a patre filio ad titulum patrimonij pro suscipiendis Ordinibus Sacris debeat conferri in eo casu, quo filius sacris initiatus collationem cum aliis fratribus ingredi voluerit, aut alij fratres in legitimis defraudati, id requisierint.

Filius Sacris initiatus potest spe consequendi maiorem portionem, quam sibi a parentibus fuerit donata, conferre cum aliis fratribus suum patrimonium, non tamen ad id teneatur: Nam si contentus suo patrimonio velit abstinere a paterna hereditate, id poterit efficere. Quia Tridentinum solum prohibet alienationem patrimonij illius qui initiatus sacris, non habet aliunde, quo vivere possit: at qui spe melioris legitimae illud dimittit, non alienat, sed in melius commutat, & habet unde melius sustentari possit. Potest autem id non conferre, si contentus sit. Quia donata a patribus filiis ob militiam terrestrem non conferuntur, etiam si legitimam aliorum filiorum attingant, & tertiam parentum excedant, nam castrensis reputatur l. fin. C. de collat. Ergo nec etiam conferuntur ea, quae ad militiam coelestem donantur: valet enim argumentum ab una militia ad alteram l. Miles ff. de re iudicata. Sic Caldas Perei ad l. si curatorem, v. Lasus, n. 132. Gratian. disceptat. forens. c. 259. n. 31. Ripa observ. 230. Rojas de success. c. 7. n. 46. & alij.

217 *Id conferre
necessario tenetur.*
Praefatum patrimonium necessarium est conferendum. Quia bona castrensis donata cum praedictio tertij, etiam adducenda sunt ad collationem, quatenus tertio id est aliis fratribus praedictio. Ita Couar. ad c. Raynaldus, §. 2. n. 7. de testam. Azor. de partition. p. 2. q. 13. Salcedo in pract. ad Bernard. c. 18. n. 16. Petr. de Ledes. p. 1. sum. tr. de Sacram. Ordin. c. 7. concl. 6. Molina to. 1. de iust. d. 238. & 241. Garcia de Benef. p. 2. c. 5. n. 159.

218 *Hanc partem
nunc esse pro-
babilior.*
Probabilior hanc partem esse existimo. Quia quando huiusmodi patrimonium excedit portionem illam, de qua pater, vel mater illud constituens liberè disporre potest, quae apud Castellae Regna est tertia & quinta: non est negandum, praedictio id esse aliis filiis, quorum legitimam attingit: quae autem cum praedictio tertij efficiuntur, iure naturali sunt illicita, & iniqua. c. si diligenti, de foro com- petenti.

PROBL. LIII.

Patres tenentur, & non tenentur filios alere in studiis ceteris, quoad usque illa absoluant.

219 *Tenentur pla-
ne.*
SI filius de licentia patris novare operam studiis inceptis, tenentur parentes ei omnes expensas usque ad gradus Doctoratus, vel ad gradus formatum subministrare. Quia eo ipso, quod licentiam impertiit, visus est necessaria ad eius executionem velut promississe. Sic Menoch. de praesumpt. l. 3. q. 29. num. 86. Corduba

duba in §. Non tantum, num. 32. Rebel. de iustit. part. 2. qu. 8. sect. 3. num. 33.

220
Non tenentur

Non tenentur parentes filiis in studiis alimenta præstare, quoadvisque ea absoluant, quamvis de patris licentia inceperint: nisi inter patrem, ac filium reliquosque coheredes pactum intercedat. Quia in reliquorum fratrum id cederet præiudicium. Ità Anton. Gomez allegans multos ad l. 29. Tauri, num. 18. Molina tom. 1. de iust. d. 239. vers. Dubium est. Fagund. tom. 1. Decal. l. 4. cap. 10. num. 19. & alij.

221
Hoc dicendum existimo.

Hoc dicendum existimo, adiciens consequenter nec mortuo parente, teneri reliquos coheredes eadem alimenta continuare, quoadvisque illi studia persoluant, nisi inter patrem, ac filium, & reliquos coheredes pactum intercesserit, quod ea alimenta in legitimam filiorum impentur.

PROBL. LIV.

Libri filijs à parente ad studendum dati, sunt, & non sunt ab onere collationis exempti.

222
Sunt filiorum, nec ad collationem adducuntur.

Libri huiusmodi in quocumque eventu semper filiorum studentium sunt, & literatorum, quando filiis sunt traditi etiam si studia sua non absoluant, nec in proximo sint ad literas exerceandas, in bonum commune: vnde nunc sunt ad collationem adducendi. Quia pater tradens filiis studentibus, libros, videtur eos absolute impertire non solum ad usum, sed ad dominium. Et huic absolute donationi censentur fratres reliqui annuere ob honorem literarum, quo cupiunt fratrem suum. Sic Anton. Gomez ad l. 19. Tauri, num. 17.

223
Non sunt filiorum ideo adducendi ad collationem.

Sunt adducendi ad collationem. Quia patres non intendunt tradere filiis dum in studiis versantur, huiusmodi libros tradere, ita ut statim ipsorum efficiantur, & plenum in illos habeant dominium, sed eis traduntur ad usum, sicut & reliqua suppellex, qua in studio utuntur. Quamobrem dominium illorum sicut & reliquæ suppellectilis ad patrem spectat, & in patre perseverat, suntque veluti bona profecticia nondum à parentibus filiis donata. Ità Molina tom. 1. de iust. d. 239. vers. Quod ad libros attinet. Fagund. tom. 1. libr. 4. cap. 10. nu. 21.

224
Liberis distindio.

Ego quidem existimo, si libri empti fuere à patre filio, & filius sub patria potestate existens, erat Doctor, licentiatu aduocatus, vel Iudex: aut absoluerat studia, & erat iam in proximo paratus ad exercendum id, quod didicerat; & hi libri erant iam filio traditi, vel promissio, aut donatio illorum illi à patre facta, & ab ipso acceptata fuit: tunc filij libros esse, nec esse adducendos ad collationem veluti bona quasi profecticia: nec patrem teneri illos imputare in eam partem, de qua potest disponere. At si tempore mortis patris libri

non erant filio traditi, nec illorum donatio, & promissio à patre filio facta, & acceptata, siue filius studia absoluerit, & esset in proximo ad exercendas literas, quas didicerat, aut illas iam exerceat: siue non: conferendos esse præfatos libros. Quia nondum erat perfecta donatio. Nauar. sum. cap. 17. num. 19. Menoch. de arbit. l. 1. centur. 2. casu 131. Mantica de iur. citis, & ambig. conuent. libr. 19. titul. 14. num. 8. Gratian. disceptat. forens. cap. 50. num. 24. & alij communiter.

PROBL. LV.

Filius tenetur, & non tenetur, cum aliis fratribus, & coheredibus ad collationem ea qua male insumpsit adducere.

Asolent non semel filij multa à parentibus furto auferre ludo, ac luxuriæ, ut in. Tenentur, adducere ad collationem. Hi quidem tenentur ea cum fratribus ad partitionem adducere, & in partitionem legitimæ, quæ ad illos pertinet, computare. Quia fratribus aliis modeste viuentibus manifesta infertur iniuria, si dissipata illa bona in collationem non adducatur, & melior circa hoc iniqui fratris esset conditio. Sic Nauar. sum. cap. 17. num. 164. citans Glossam ad l. ludo. Cod. de collat. Sylvest. verb. Pecuniam 2. q. 6. Anton. Gomez ad l. 19. Tauri, num. 25. D. Antonin. part. 2. titul. 1. cap. 15. §. 1.

Non tenetur, ea adducere ad collationem. Quia non semper quando filius inordinate, & illicitè aliquid contra voluntatem patris insumit, ita ut mortaliter peccet transgrediendo patris voluntatem, tenetur illud restituere, aut adducere ad collationem cum aliis fratribus. Nam raro inuenitur pater, qui velit, ut filius post mortem suam, id quod ita insumpsit, ad partitionem adducere teneatur. Et sufficit ea tacita, ac præsumptua patris voluntas, ut filius sit à collationis onere immunis. Ità Sotus libr. 4. quest. 5. artic. 5. Molina tom. 1. de iust. d. 242. vers. Vt verò hac, & versic. Deinde dico. Fagund. tom. 1. Decalog. libro 4. capite 24. numero 2.

Ego quidem nec in totum abnego, nec in partem concesserim. Certè quando filius male absumpsit non maiorem quantitatē, quam pater contentus esset, ut ille in sui sustentationem, honestamque recreationem insumeret: ad nullam tenetur restitutionem, si quid intra illam summam inordinate, illicitè, & contra voluntatem patris, vel matris in ludo, aut cum meretricibus, aut quouis alio modo illicito absumpserit. Attamen, si quod sic dissipauit admodum excedat, iam non præsumitur patris voluntas annuens cum graui aliorum fratrum præiudicio.